

I. N. J. 16  
TENTAMEN JUVENILE  
De  
**ANTROPOMOR-  
PHISMO,**

QUOD,

*Consens. Ampliss. Facultatis Philosoph. in Regia  
ad Auram Academia,*

PRÆSIDE  
VIRO, MAXIME REVERENDO atq; CELEBERRIMO  
**DN. DOCT. CAROLO  
MESTERTON,**  
Log. & Metaphys. PROFESS. Reg. & Ord.

*Publice Ventilandum Sistit*  
**HENRICUS MOLIIS,**  
OSTROBOTNIENSIS.

DIE VIII. JUNII ANNO MDCCCLXIII.

H. A. M. S.

---

A B O Æ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo  
**DN. MAG. JOHANNI**  
**ÆIMELÆO,**

Pastori Ecclesiarum in Storkyro & Ylistaro meritissimo,

AFFINI DULCISSIMO ÆSTUMATISSIMO.

Singularis ille favor, qui maximis beneficiis semper stipatus fuit, ansam dedit exoptatissimam in hisce lineolis publice animum meum gratissimum, Tibi, Affinis Dignissime, declarandi, quod ut benigna adspicias fronte meaque eodem favore, quo hucusque me dignatus es amplectaris, humillimus obtestor, quod si contigerit, ut mihi contingere non harior, sed certo certius confido, gratitudo mentis venerabundæ nunquam, quamdiu Spiritus hos regit artus, apud me moritura est; licet lubentissimus confitear tantum virium mearum esse defectum, ut beneficiis Tuis demerendis nunquam sufficiant, sed voluntas tamen devota non est defutura, adeo ut suspiriis ardentissimis DEum Ter optimum Maximum implorare nunquam desistam, velit, Te, Dulcissime affinis, in Nestoreos annos, salvum sospitem in columemque servare, in solarium ac gaudium Tuorum, Ecclesiaz emolumentum maximum. Sic vovens ad urnam usque permaneo,

Plurimum Reverendi NOMINIS TUI

cultor humillimus

HENRICUS MOLIIS.

Plurimum Reverendo atque Doctissimo  
Commissario in Nerpis,  
**D<sub>N.</sub> HENR. MOLIIS,**  
PARENTI INDULGENTISSIMO.

**E**xultans jam gaudeo tandem illuxisse lucem illam exoptatissimam, qua in numera Tua, Parens savissime, beneficia, quibus me ab ipsis incunabulis summum in modum cumulasti, venerabundo praedicare animo mihi contingit. Sed Parens Exoptatissime, dum amorem Tuum in me adumbrare menteque evolvere admitor, quas primum & quas deinde in stupenda beneficiorum multitudine atque copia ducam lineas, in totum certe ignoro; nam tota mea mens obtunditur & lingua in eorundem recordatione penitus obmutescit. Quamobrem ingratissimus certe forem, si munus hocce chartaceum, quod Tuis impensis publicam jam adspicit lucem. Tibi pia non offerem mente in signum venerationis meæ nunquam intermoritura, Vilissimum & jejuna admodum Minerva adumbratum hocce agnosco munuscum, ut tame permittas, Parens Optime, remunerationis vicem idem supplete pia obtestor devotione, quum hoc unicum sit illud, quod Tibi, Parens Indulgentissime pro beneficiis Tuis largissimis referre valeo. DEUS Ter Optimus Maximus sospitet & conservet Te in prospero & constanti omnium rerum flore, adeo ut Nestoreos annos quavis felicitate ornatissimus attingas, in Tuorum qui Tua salute nihil vehementius desideramus, fulcrum certissimum & in ecclesiæ emolumentum verissimum. His votis nunquam desitatis ad extremum vitae halitum permaneo Tuus,

PARENTS INDULGENTISSIME

filius obedientissimus  
**HENRICUS MOLIIS.**

Ådle och Högaklade Ingenieuren  
**Herr CHRISTOPHER GUSTAF  
Å K E R M A N ,**

Ådle och Högaklade Ingenieuren  
**Herr JOHAN HOLSTIUS,**

Comministeren Årewördige och Höglärde  
**Herr Mag. ISRAEL HOLSTIUS,**

Mine Gunstige och Bewågne Swågrar.

Det upoffra Eder detta omogna arbete, där til har jag fått en  
otvungen anledning, af den gunst, hvaraf mig, alt sedan  
jag hade den åran at råka i Edert vårdå Swågerlag, så mäns-  
ga solklara wedermålen wederfarits, at de än yttersigare ej al-  
lenast försäkra mig om gunstig tilgift för denna min djershet,  
utan ock gjöra mig fullkomlig öfvertygad om Eder besländiga  
bewägenhet. Uptagen därfore mine Bewågne Swågrar,  
deße magra rader, såsom en tålk af mitt både tacksamma och  
wördsamma sinne, som icke är i stånd at yttra sig i något  
verckeligt aftjenande: min förbindelse dåremot, skal jag söka at  
någorlunda fullgöra med innerliga succningar til Allmänt för  
Edert ständiga wål, samt för öfrigt råkna för en åra at få kallas

Mine Gunstige och Bewågne Swågrars

HENRICUS MOLIUS

erogne tjenare  
HENRIC MOLIUS.



### §. I.

*Antropomorphismus crassus est error, quo af-*  
*firmaatur, DEUM corpus habere ejusmo-*  
*di instructum organis, quale est humanum.*

### §. II.

*Antropomorphismus subtilis est error, quo*  
*DEO per modum animæ representato tacite*  
*tribuuntur limitationes.*

### §. III.

Utriusque erroris exempla non desunt.  
Illius erroris affines fuerunt *Epicurai*, DEos  
con-

contendentes esse forma ac specie humana. Gravissimi hujus erroris præcipuus defensor fuit *Audens* Syrus, qui seculo IV vixit & floruit sub extrema *Arii* hæretici tempora. *Sectatores* *Audei* non unum habuerunt nomen, teste *Svicero* in Thes. Eccles. pag. 348. Tom. I interdum *Audeani* & *Antropomorphiti* ab aliis iterum *Antropomorphiani* sunt appellati. Antropomorphismum crassum quoque Rabbinos quosdam defendere probat *Eisenmengerus* in *Judaismo detecto*. pag. 1. Cap. I. p. 2. seq.

#### §. IV.

*Antropomorphismi subtilioris* ab omni ætate fuerunt defensores. Hujus generis sunt illi, qui decreta DEI statuunt actu plura, eaque temporaria, quale quid a *Socini* defensoribus factum esse novimus; qui cum Poireto in ejus cogitat. Ration. de DEO, anima & malo L. III. C. X. essentias ad DEI placitum referunt, ita, ut postquam veritates illa

illæ ideales, essentiales ad tempus duraverunt, possint deinceps mutari; qui denique DEO non nisi unius mundi ideam adscribunt, & affectus sensu proprio attribuunt.

§. V.

*Antropomorphismus infert corpus organicum ad essentiam Divinam pertinere.* Quamobrem cum corpus humanum organis sensoriis sit instructum, vel uti oculis, auribus, naribus; *Antropomorphitæ crassiores* DEO igitur tribuunt has partes corporis organici in sensu proprio.

§. VI.

Antropomorphitæ crassiores, si distincte cognovissent, quid sibi velint organa sensoria, & quidnam ad sensationem conferant, non video, quomodo in errorem adeo insulsum incidere potuissent, qui Scripturæ Sacræ Auctoritate permoti DEO tribuebant perfectiones summas, veluti omniscientiam,

omnipotentiam, omnipræsentiam. Nec credimus hodienum accidere posse, ut Philosophus, qui distincte cognoscit, quid sint sensus, quid organa sensoria, in Antropomorphismum crassum incidat, præsertim, si DEO illimitatas competere perfectiones agnoscat.

### §. VII.

Nemo non experitur in se ipso, præsentia non cognosci tanquam præsentia beneficio organorum sensoriorum corporis, nisi quatenus objecta externa mutationem quandam iisdem inducunt, seu in eadem agunt. *Antropomorphitæ* DEO tribuunt organa sensoria in significatu proprio. Ex hypothesi itaque eorum DEUS præsentia tanquam præsentia modo cognoscit, quia in organa sensoria agunt, ergo DEUS est passibilis, cuique objectum aliquod tegi potest, ne illud videat.

### §. VIII.

§. VIII.

Licet *Antropomorphitarum* error sit per quam gravis, non possumus tamen ex eo concludere corpus Divinum esse partem mundi, vel mundum esse corpus DEI, vel denique DEUM esse animam mundi.

§. IX.

Cum *materialismo antropomorphismus* minime est confundendus, quia *antropomorphita* DEO non omnem denegat spiritualitatem ut Materialista. Licet inter utrumque illum errorum sit discriminem, *Antropomorphismum*, tamen ad Materialismum & Atheisnum viam pandere non negamus.

§. X.

A crassioribus his *antropomorphitis* distinguuntur subtiliores, *Antropomorphistæ* appellati, quorum jam mentionem fecimus

§ præc. IV. Qui Athei non sunt, nec Deistæ, nec Antiscripturarii. Unum hoc monendum duco: evitendum esse non minus circa animæ humanæ imperfectiones, quam circa corporis formam, *Antropomorphismum*, hoc est, non esse tales de DEO & Divinis attributis conceptus animo ingerendos, quales imperfectiones sapiunt humanas. Ita cave adscriptas DEO *decreta temporaria* quacunque sub specie inferantur, cave tribuas *decreta partialia*, quasi DEUS ab initio aut in consilio suo de parte tantum operis & regiminis sui circa illud opus statueret; cave tribuas *ignorantiam futurorum* sive malorum sive & bonorum, cave tribuas *potentiam avertendi*, attentionem & cognitionem suam a rebus creatis etjam existentibus; cave tribuas *cognitionem* sui ipsius potentiae vagam & indeterminatam, sine distincta notitia eorum quæ per illam sunt possilia; cave admittas *contradicere voluntatem intellectui* hoc est, decernere DEUM aliter, quam sva-deat sapientia; cave admittas DEUM *non impedire peccatum*, cum impedire melius est,  
quam

quam permettere; cave admittas usus in rebus creatis qui *non* sunt *fines* Divini & quæ sunt plura ejusmodi, quæ singula Divinas minuant & maculant perfectiones, adeoque cum omnibus suis antecedentibus, connexis & consequentibus, ab iisdem longissime sunt removenda.

### TANTUM.



# AUCTORI

Hujus Dissertationis Praestantissimo; Consobrino  
& Amico Dilectissimo.

**S**ingulari plane perfundor voluptate, quando Te,  
Consangvinee carissime, in arenam jam dispu-  
tatoriam descensurum video. Ne itaque mireris,  
quod temperare mihi non possim, quin peropportu-  
na hacce occasione, calamo licet tenui, mente ta-  
men amicissima tester animi mei in TE affectum  
sincerum, quem non sanguinis tantum, quod  
nos conjungit vinculum, sed arctissima etiam, quæ  
mihi Tecum intercedit amicitia, genuit, alitque.  
Gratulor Tibi pulchros, quos præsens hæc elegan-  
tissima dislertatio prodit, in studiis progressus! Gra-  
tulor Tuis cognatum, mihi & Consobrinum & a-  
mieum doctrina & virtutibus ornatissimum! Ex  
intimo pectore voveo, velit summum Numen co-  
naminibus Tuis honestissimis successus optatos lar-  
giri, quo pulcherrimis laborum Tuorum præmiis,  
quæ omnes boni tibi apprecantur, propediem af-  
ficiare. Vale.

GABRIEL REIN.